MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-24

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

PRAUSE, OSWALD

TITLE:

DE PARTICULAE PRIN USU TRAGICO ET...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1876

Master Negative #

93-81627-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar5 Prause, Oswald. 1852-
DZ2 v.4 De particulae prin usu tragico et Aristcphaneo.
Halis Saxonum [1876]. O. [3] + 40 + [2] p.

Doctor's dissertation at Halle (Ger.) university.

No. 9 of a vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE PARTICULAE ΠΡΙΝ USU TRAGICO ET ARISTOPHANEO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

A. D. III CAL. MAJ. A. MDCCCLXXVI HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OSWALDUS PRAUSE

POSNANIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTIBUS FUNGENTUR:

JOANNES MICHAELIS, DR. PHIL.

GUILELMUS GOEHLING, STUD. PHIL.

OTTO LOTTICH, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.

RICARDO FOERSTER

S.

De usu particulae πρίν, qualis apud Homerum, Hesiodum, Ionicos scriptores esset, quoniam disertissime viri docti egerunt [1]), tragicorum vero et Aristophanis hujus conjunctionis adhibendae rationi investigandae quum grammaticus ad hoc tempus satis operae dedisset nemo, sed omnes in transitu tantum, ut ita dicam, strictimque attigissent, non abs re fore arbitratus, quae de structuris particulae πρίν, a poëtis scenicis Atticis adhibitis observassem, proferre suscepi. Atque eo majori fructui hanc quaestionem, ea qua par est diligentia et subtilitate tractatam, esse futuram speravi, quo minus ea, quae grammatici de particula πρίν tradiderunt praecepta aut inter se congruerent, aut omnium legum a scriptoribus observatarum rationem haberent. Neque enim prius hanc grammaticae Graecae partem, ita ut omnibus doctis probetur, ad finem productum iri existimo, quam singulorum poësis orationisque generum leges constitutae sint.

Ac priusquam ad ipsam, quam tractandam mihi proposui, rem accedam et de originatione particulae πρίν et de ratione, qua ex adverbio in conjunctionis usum et munus abierit, paucis esse disserendum mihi videtur. Quem ad finem Homerica carmina, ut veterrima linguae Graecae monumenta, nobis esse respicienda perspicuum est.

1) R. Foerster „De usu conjunctionis πρίν Homerico et Hesiodeo" et „De usu particulae πρίν, qualis apud Ionicos scriptores fuerit." In Miscell. sem. philol. et Soc. lat. Vratisl. 1863 et 65. R. Richter „De particulis πρίν et πάρος earumque usu Homerico." Lipsiae 1874.

Itaque quum Hoffmannus [1]), probatus Westphalio [2]), Richtero, demonstravisset voculam *πρίν* apud Homerum esse ancipitem, ita ut principio eam longam fuisse verisimile sit, sententia ejus [3]), *πρίν* esse contractum ex *πρό-ϊον*, particulae *πρό* comparativo, cui assentitur Curtius [4]) et nunc etiam Foersterus, qui antea cum Hartelio [5]) *πρίν* esse factum ex adverbio *πρό*, aucto suffixo *ιν* docuit, omnibus fere probatur. Passowius contra in lexico suo linguae Graecae s. v. *πρίν* nihil aliud dicit, nisi haec: *πρίν* ist die adverbialform der Praeposition *πρό*.

Quamquam apud ceteros poëtas posteriores et scenicos et lyricos *πρίν* corripi recte observatum est in Etym. Magn. pag. 405, 33, ubi legitur: *πᾶν μονοσύλλαβον ἐπίῤῥημα ἢ φύσει ἢ θέσει γίγνεται κατ' ἰδέαν μακρόν, χωρὶς τοῦ πρίν.* Ita in tragicis quidem et in Aristophane nullum exemplum *πρίν* voculae productae exstat.

Similiter vero ut in metienda particula *πρίν* antiquiorem legem ab Homero invenimus servatam, sic etiam ejus construendae antiquior ratio apud eum valet. Quum enim plerisque locis particula *πρίν* cum infinitivo, quem constat casum esse [6]) substantivi alicujus abstracti, conjuncta ab Homero inveniatur, indicativo vero, vel conjunctivo aut optativo perraro, eam tunc veram conjunctionis naturam nondum induisse apparet. Quomodo vero *πρίν* ex adverbii conjunctionis vim acceperit, a Richtero [7]), qui correlationis via id factum esse

---

1) **Hoffmann** Quaestiones Homericae pag. 71. 99.

2) **Rossbach-Westphal** II 303: „Bald lang, bald kurz (wie bei Plautus) ist der Vocal ι in der singularen Nom., Accus. und Vocat.-Endsilbe einiger Wörter auf ις, sowie in dem Worte πρίν, τόπριν."

3) **Hoffmann** l. l. § 71.

4) **Curtius** Grundzüge.

5) **Hartel** Hom. Studien. Wien 1873. pag. 110.

6) **Lange** Der homerische Gebrauch der Partikel εἰ pag. 216. „Der Infinitiv ist bekanntlich eine Nominalform (sei es dativ, sei es locativ eines weiblichen verbalsubstantivs)."

7) **Richter** l. l. pag. 28. „Itaque equidem in sententiam certissimam adducor, πρίν correlationis via conjunctionem esse factam." — Quamquam, quo jure Richterus dixerit, G. Hermannum negotium suscepisse explicandi quanam ratione πρίν conjunctionis munere fungi potuisset, equi-

censet, optime esse demonstratum mihi videtur. Cujus correlationis [1]) in carminibus Homericis maxime perspicuae manifestissima vestigia, etiam apud tragicos, Aristophanem, ceteros scriptores posteriores reperiuntur. Haud enim ita rari sunt loci, ubi *πρίν* in sententia secundaria ad propinquum adverbium praecedens referendum est. Atque ipsum quidem adverbium *πρίν* praecedit duobus locis Euripideis: Herc. fur. 605:

. . . . πόλιν δὲ σὴν
μὴ πρὶν ταράξῃς, πρὶν τόδ' εὖ θέσθαι τέκνον.

Frg. 462, 5: *δέδοικα δὲ μὴ πρὶν πόνοις*
ὑπερβάλῃ με γῆρας
πρὶν σὰν χαρίεσσαν ὥραν προσιδεῖν.

Ceteris locis sententia primaria exhibet aut adverbia aut adjectiva aut verba similem particulae *πρίν* significationem gerentia [2]). Sic legitur *πρότερον* Soph. Phil. 199. Aristoph. Av. 700. Ran. 673. Eccl. 589. 620. 649. Thucyd. II 65, V 10, VIII 45. *πρόσθεν* Soph. OC. 1041. Eurip. frg. 688. Aristoph. Nub. 780. *πρῶτα* Aristoph. Eq. 542. *πρότερος* Eq. 761. *πάροιθε* Soph. Electra 1131. Apud Thucydidem *πρίν* saepius refertur ad verbum *φθάνω*, cf. IV 79. 104. VI 97. VIII 12; apud oratores saepissime ad adverbium *πρότερον*, cf. Andocides *Περὶ τῶν μυστηρ.* 7. ibid. 89. *Κατὰ 'Αλκιβ.* 1. ibid. 17. Lysias *Πρὸς Σίμωνα* 7. *Κατὰ τῶν σιτοπ.* 4. *Κατὰ Νικομ.* 3. *Πρὸς 'Αρμόδ.* frg. 12. Demosthenes *Περὶ 'Αλοnν.* 28. *Κατὰ Φιλ. Γ* 61. *Περὶ τ. παραπρεσβ.* 79. *Κατὰ 'Ανδροτ.* 15. *Κατὰ*

---

dem non perspicio. Quum enim G. H. in adnot. ad Eurip. Med. v. 215 dicit: „Recte dicitur et ποιήσω et οὐ ποιήσω, πρίν σε κελεῦσαι. Quid ita? Quia hoc idem est, ac πρὸ τοῦ κελεῦσαί σε," haud aliud, mea quidem sententia proferre voluisse putandus est, nisi explicationem, eandem, si πρίν asciscit infinitivum, et in affirmativa et in negativa sententia primaria, inter utramque actionem intercedere condicionem.

1) **Hartung** Partikeln der griech. Sprache. Erl. 1833. pag. 61. „Die Correlation ist Einklang und Wechselbezug paralleler Sätze. Exponenten dieses Einklanges sind gewöhnlich Partikeln, welche die beiden, in Wechselbezug getretenen Glieder besitzen."

2) **Hartung** l. l. I 32. „Der Parallelismus wird nicht gestört, wenn an der ersten Stelle eine andere statt der nämlichen Partikel gebraucht wird, im Fall diese nur sinnverwandt ist."

Ἀριστοκρ. 179. ibid. 187. *Κατὰ Ὀλυμπιοδ.* 46. *Κατὰ Νεαίρ.* 51. Similia correlationis exempla etiam in aliis linguis inveniuntur, ut in Latina, vel etiam in nostra. Conferantur Catulli loci C. 62, 45:

Sic virgo, dum intacta manet dum cara suis est.

„So lange sie unberührt bleibt, so lange ist sie den Ihrigen lieb", et ibid. 56:

„Dum intacta manet, dum inculta senescit",

et Theocriti Id. III 41:

ὡς ἴδεν ὡς ἐμάνη, ὡς εἰς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα.

Ac ne quis miretur, quod particula *πρίν* conjunctio facta ipsum infinitivum asciverit, (haec enim usitatissima apud Homerum ob eamque causam sine dubio primaria *πρίν* conjunctionis est structura) [1]), ea est infinitivi significatio et usus prolixus, ut non pro imperativo solum sed etiam pro optativo usurpetur. Et quum, sicut supra demonstravi, infinitivum esse casum substantivi alicujus abstracti omnes consentiant, secundum Langii praecepta, qui dicit [2]): „Nicht blos das verbum finitum, sondern auch das nomen (substantivum wie adjectivum), ja sogar eine bestimmte casusform oder auch ein adverbium, beziehungsweise ein durch Praeposition und Casus gebildeter adverbieller Ausdruck hat die Fähigkeit in sich praedicativ verwendet zu werden," haec structura nihil habere offensionis videtur. Accedit quod conjunctio *ὥστε*, quam ejusdem correlationis via conjunctionem esse factam constat (*τοῖος*, — *οὕτως*, — *ὡς*, — *ὥστε*), cum infinitivo consociatur.

Sed haec quidem hactenus. Nunc ad singulorum poëtarum scenicorum usum pertractandum accedo, chronologico in hac re ordine usurus, ac primum quidem Aeschyli, deinde Sophoclis, tum Euripidis, postremo Aristophanis structuras pertractaturus, ita ut tota haec mea disputatio sua sponte in partes quatuor dividatur.

1) cf. Richter l. l. pag. 27.
2) L. Lange l. l. pag. 215.

I. De conjunctionis πρίν usu Aeschyleo.

Quam structuram apud Homerum esse vidimus originariam et usitatissimam, id est cum infinitivo, ea etiam in fabulis Aeschyleis primum locum obtinet. Subducta enim ratione poëta conjunctione *πρίν* usus est omnino locis viginti quinque, quorum duodeviginti quidem exhibent infinitivum, indicativum unus, sex conjunctivum. Optativo Aeschylus, ut jam vidit Foersterus [1]) post *πρίν* abstinuit. Ac ne illud quidem praetermittendum, quod Aeschylus, sicut omnes scriptores posteriores, semper fere adhibuit aoristi infinitivum, praesentis contra perraro, et id sic demum, si aoristi infinitivo posito enuntiati sensus perturbaretur. Sic in altero ex duobus illis locis, in quibus praesentis infinitivum collocatum invenimus, qui est Suppl. 672:

ξένοισί τ' εὐξυμβόλους,
πρὶν ἐξοπλίζειν Ἄρη
δίκας ἄτερ πημάτων διδοῖεν,

si legeretur *ἐξοπλίσαι* hoc a sensu hujus loci longe esset alienum. Facile enim potest intelligi poëtam dicere voluisse „priusquam bellum parent" sive potius „parare incipiant" non „priusquam paraverint" id est „belli apparatum perfecerint". Aoristo enim, secundum G. Hermanni praecepta [2]), perfectio rei indicatur, praesente initium. Idem dicendum de altero loco, qui est in Ag. 1026. Ceteris locis sedecim, ut jam dixi, Aeschylus post *πρίν* semper usus est aoristi infinitivo, nulla aut temporis aut modi in sententia primaria praecedentis ratione habita, ita tamen, ut contra usum Homericum [3]), illius sensus plerumque sit affirmativus, ter tantum negativus (Suppl.

1) Foersterus „De usu particulae πρίν qualis apud Ionicos scriptores fuerit", in Miscell. Philolog. libello. Vratisl. 1865. pag. 5.
2) cf. G. Hermanni Adnot. in Eurip. Med. v. 78, pag. 343 edit. Med. Elmsl.
3) cf. Foerster l. l. pag. 15. „Apud Atticos vetustiores πρίν cum infinitivo fere non usurpatur, nisi sententia primaria affirmativa est. Alius est usus Homericus: nam saepius apud hunc negatio praecedit."

743. Sept. 1032. Agam. 1026), quibus de locis infra pluribus agendum erit. Nunc ad eos transeamus, ubi *πρίν* cum infinitivo referendum est ad sententiam affirmativam. Priusquam vero ad ipsam aggrediar rem, quasnam leges secuti poëtae scenici particulam *πρίν* cum infinitivo conjunxerint, exponam. Etenim si grammaticorum de hac structura perlustro praecepta, ne ab uno quidem rem satis dilucide atque distincte esse explicatam invenio. Atque aliis omissis, ut Buttmanni et Augusti Matthiaei sententiam proferam, alter Gr. Gr. pag. 426 dicit: „Wo von blos möglichen, gedachten, oder zukünftigen Handlungen die Rede ist, steht der Infinitiv," alter Gr. Gr. § 522 pag. 1200: „Bei zukünftigen Handlungen, oder solchen, die ohne genauere Zeitbestimmung nur im Allgemeinen als gewöhnlich geschehend angegeben werden, steht *πρίν* gewöhnlich mit dem Infinitiv." — Praecepto utrique repugnant loci Aeschyl. Prom. 826. Soph. El. 992. 1132. Eurip. Med. 1157. Phoen. 400. Herc. fur. 29. Suppl. 930. Aristoph. Eq. 318. 321 alii multi, qui, quum agatur neque de rebus futuris, neque de iis, quae „ohne genauere Zeitbestimmung nur im Allgemeinen als gewöhnlich geschehend angegeben werden," verum de perfectis, tamen exhibent infinitivum.

Neque magis ea probari possunt, quae docet Kuehnerus Gr. Gr. pag. 541 ubi legimus: „Wenn aber" (ubi agitur de re futura) „das Praedicat des Nebensatzes im Verhältniss zum Praed. des Hauptsatzes als eine zeitliche Folge dargestellt werden soll, so wird der Infinitiv gebraucht, gleichviel, ob der Hauptsatz negirt ist oder nicht." Fugisse enim videtur virum doctissimum condicionem quandam semper inesse in sententia secundaria, si primaria est negativa. An censuisse putandus est condicione carere sententiam secundariam loco Suppl. 743:

> *οὕτω γένοιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἔκβασις στρατοῦ*
> *καλὴ πρὶν ὅρμῳ ναῦν θρασυνθῆναι . . .,*

vel his: Soph. Aj. 1418. Trach. 197. Eurip. Med. 94. Rhes. 61. Alc. 358. Herc. fur. 605. Aristoph. Pax 307. Eccl. 589, quibus addi alii possunt multi, in quibus secundum praecepta ejus [1]) desideraretur aut conjunctivus, aut optativus? Quae

1) Kuehner Gr. Gr. pag. 541. „Wenn von einer zukünftigen, nur vorgestellten Handlung, die als Bedingung des Hauptsatzes gedacht werden kann, die Rede ist, so steht der Conj. der Haupttempora, wenn der Nebensatz auf ein Praesens, Perfect. oder Futur. im Hauptsatz bezogen wird, und der Conj. der historischen Zeitformen (Optativ), wenn der Nebensatz auf ein Praeteritum im Hauptsatz bezogen wird, jedoch immer nur wenn der Hauptsatz negirt ist."

quum ita sint, rejectis grammaticorum praeceptis, quippe quibus singula quidem momenta, non totus usus multiplex contineatur, legem de part. *πρίν* cum infinitivo structura statuendam puto esse hanc: Sive agitur de rebus jam perfectis, sive de futuris, sive enuntiato secundario nihil aliud significatur nisi temporis quaedam certior descriptio, sive condicio eo continetur (quod fieri solet si sententia primaria est negativa), ante quam perfectam actio sententiae primariae perfici non potest, *πρίν* adjungitur, vel adjungi licet infinitivo. Quamquam apud scriptores aetate posteriores primo loco indicativum, conjunctivum postremo invaluisse concedendum est.

Verum ut eo redeat unde defluxit oratio, uno loco obviam nobis fit in sententia primaria praesentis indicativus: Ag. 1447:

> *ἐκ τοῦ γὰρ ἔρως αἱματολοιχὸς*
> *νείρει τρέφεται, πρὶν καταλῆξαι*
> *τὸ παλαιὸν ἄχος, νέος ἰχώρ.*

Perspicuum est, nihil aliud hoc loco part. *πρίν* significari, nisi actionem sententiae secundariae post actionem sententiae primariae factum iri, ubi in nostra et in Latina lingua usurpatur indicativus praesentis aut perfecti.

Ad imperativum praesentis *πρίν* referendum est loco Ag. 1630:

> *στεῖχε καὶ σὺ χοἱ γέροντες πρὸς δόμους πεπρωμένους*
> *πρὶν παθεῖν ἔρξαντες.*

Sensus vero est „*μὴ πάθητε* ne patiamini". Eadem fere constructio est, idem sensus loci Suppl. 31, ubi praecedit aoristi imperativus:

> *πρὶν πόδα χέρσῳ τῇδ' ἐν ἀσώδει*
> *θεῖναι . . . .*
> *πέμψατε πόντονδε.*

„priusquam admoveant mittite“ intelligitur vero „mittite ne admoveant“. Aliter res se habet loco Sept. 63:

(σὺ δὲ) *φράξαι πόλισμα πρὶν καταιγίσαι πνοὰς*
Ἄρεως . . . .

ubi aoristi infinitivus habere mihi videtur significationem futuri exacti „priusquam Mars cum impetu ruerit“, „bevor er noch herabgestürmt sein wird“. Neque hoc loco, sicut prioribus duobus enuntiati a *πρίν* pendentis sensus est prohibitivus, ut ita dicam; quominus enim Mars deferretur Eteocles tunc impedire neque potuit, neque prohiberi nuntius voluisse putandus est. Post imperativum vero, negatione carentem Theognidem [1]) primum posuisse infinitivum recte monuit Foersterus [2]).

Sequuntur duo loci, ubi infinitivus post *πρίν* ab indicativo futuri pendet, ut Sept. 268:

. . . . *τάξω μολών,*
πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυῤῥόθους
λόγους ἱκέσθαι, καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.

Atque ita quidem, ut primum sit positus aoristi, tum praesentis infinitivus. Jure. Priusquam enim rumores animos possint inflammare, eos pervenisse antea necesse est. cf. Choëph. 569.

Omnino autem apud tragicos contra usum Homericum, si praecedit indicativus futuri negativus *πρίν* adjunctum infinitivo non invenimus, nisi uno loco Euripideo: Med. 94. Qui enim sunt alii loci Euripidei: Ion 524. Rhes. 684. Andr. 1069, quamvis habeant negationem *οὐ*, tamen sensus est affirmativus, quum sit interrogatio loco utroque. Apud Sophoclem vero, futurum numquam est in sententia primaria nisi cum negatione, ac tum quidem semper sequente conjunctivo.

Occurrunt jam duo loci, in quibus, id quod est rarissimum, in sententia primaria legitur perfecti indicativus. Apud Sophoclem enim haec structura non invenitur nisi semel: Trach. 1133, ad quem locum nescio an omnino nobis hic sit adlegandum, quum *τέθνηκα* perfectum significationem habeat praesentis, sicut nos dicimus „ich bin todt“. Idem *τέθνηκα*

1) Frg. 485 (Bergk) ἀλλ' ἢ πρὶν μεθύειν ὑπανίστασο.

2) In Miscell. Philolog. libello. Vratisl. 1865. pag. 6..

est loco Eurip. Hecub. 431, cui accedit alter paucis versibus post, 433, qui exhibet *ἐκτέτηκα*, quod perfectum secundum semper habere praesentis vim notissimum est. Verum, quod ad sensum attinet ac structuram eorum, qui in medio sunt, locorum Aeschyleorum, in utroque agi de rebus jam perfectis apparet. Nam praeconis in Sept. 1132 verbis:

οὐ πρίν γε [1]) *χώραν τήνδε κινδύνῳ βαλεῖν,*

spectantibus versum 1131 ab Antigona dictum:

ἤδη τὰ τοῦδ' [2]) *οὐ δυστετίμηται θεοῖς*

certe continetur res jam perfecta. Polynices enim, qui Thebarum urbis salutem in discrimen vocaverat, scelesto isto certamine cum fratre facto, interfectus quum jaceret, reges, quorum erat auxilio frustra usus, terga quum vertissent, periculum fuisse sublatum perspicuum est. Quae quum ita sint, huic loco, de quo ad multos possum adlegare multorum scriptorum, non conveniunt grammaticorum praecepta, secundum quae [3]) desiderandus fuit post *πρίν* temporis alicujus praeteriti indicativus. cf. Prom. 826.

Ab his duobus locis, quamvis haut ita sit alienus is, qui est Pers. 498 et in sententia primaria exhibet aoristi indicativum:

χὤστις μὲν ἡμῶν, πρὶν σκεδασθῆναι θεοῦ
ἀκτῖνας ὡρμήθη, σεσωσμένος κυρεῖ.

tamen aliam hoc loco infinitivi causam esse nobis statuendam puto. Neque enim de re semel tantum facta agitur, sicut solet, ubi *πρίν* asciscit indicativum, sed quotidie repetita; et tum infinitivum a scriptoribus usurpari quum alia multa exempla docent, tum hoc Xen. Cyrop. VIII 1, 38: *καὶ οὔτε αὐτός ποτε πρὶν ἱδρῶσαι δεῖπνον ᾑρεῖτο, οὔτε ἵπποις ἀγυμνάστοις σῖτον*

1) Qui usus adjungendae particulae γέ imprimis reperitur in responsionibus.

2) sc. Polynicis jam mortui, cujus de funere a Thebanis vetito agitur.

3) Buttmann Gr. Gr. 426: wo von bestimmten, bereits geschehenen Factis die Rede ist, steht der Indicativ. — Kuehner Gr. Gr. pag. 541: „Wenn von einem vergangenen, wirklich eingetretenen Ereigniss die Rede ist, so steht der Indicativ eines Praet. Similiter Matthiaeus, Kruegerus, alii.

ἐνέβαλλεν. Sed ne tum quidem, quum enuntiatione primaria res continetur veritati contraria, Aeschylum infinitivum post *πρίν* aspernatum esse, altero loco perspicitur, ubi in membro priore est aoristi indicativus, et is in formula optationis, addita particula *εἴθε*; cf. Agam. 1505:

. . . . εἴθε μ' ἐδέξω
πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου
δροίτας κατέχοντα χαμεύναν.

Cui loco similis est in Od. *σ* 402:

Εἴθ' ὤφελλ' ὁ ξεῖνος ἀλώμενος ἄλλοθ' ὀλέσθαι
Πρὶν ἐλθεῖν . . . .,

similes alii apud Sophoclem et Euripidem nobis occurrent. Haut ita raris locis Aeschyleis *πρίν* cum infinitivo ad optativum aoristi est referendum, cui ter quidem addita est particula *ἄν*: Suppl. 743 [1]). 759. 767 bis omissa Suppl. 37. Sept. 435. Quorum locorum in primo quidem est optativus potentialis cum negationis particula, ejusque ratio est talis, ut alii, imprimis orationis solutae scriptores post *πρίν* non infinitivum, sed aut conjunctivum saepius addita, quam omissa particula *ἄν* aut optativum ponere soleant. — Ceteris vero quattuor locis, ubi enuntiatione primaria res optata continetur, sententiae secundariae sensus est talis, ut, quum agatur de re, dubia utrum sit futura necne, is qui dicit, eam non perfectum iri sperare et optare putandus sit. Itaque *πρίν* cum infinitivo his locis idem significat quod particula *μή* cum conjunctivo aut optativo in sententia finali. cf. Suppl. 37:

ἀνέμοις ἀγρίας
ἁλὸς ἀντήσαντες ὄλοιντο
πρίν ποτε λέκτρων, ὧν θέμις εἴργει,
. . . . ἀκόντων ἐπιβῆναι.

„pereant maris tempestatibus, priusquam — sive — ne forte lectum, quem nefas est, genialem invitarum conscendant.“ Ve-

---

1) οὕτω γένοιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἔκβασις στρατοῦ
καλή, πρὶν ὅρμῳ ναῦν θρασυνθῆναι.
Servanda enim mihi videtur cum Hermanno librorum scriptura, quum haec sententia referenda sit ad versus praecedentes 732—33 ad quorum οὐδὲ respicit οὐδὲ versus 740, in quo sine justa causa haesit Engerus.

rum sententiae cum particula ut consecutiva negativae similis est infinitivus post *πρίν* loco Pers. 713:

νῦν τέ σε ζηλῶ θανόντα, πρὶν κακῶν ἰδεῖν βάθος.

In sermone Latino hoc loco opus erat conjunctivo imperfecti „priusquam videres“.

Priusquam jam ad conjunctivum accedamus, de unico loco, in quo Aeschylus post *πρίν* indicativum usurpavit, paucis disputabo. Est autem ille locus in Prom. 482:

. . . . ἀλλὰ φαρμάκων
χρείᾳ κατεσκέλλοντο, πρίν γ' ἐγὼ σφίσιν
ἔδειξα κράσεις ἠπίων ἀκεσμάτων.

Et quum agatur de re vere perfecta *πρίν* asciscit indicativum, quem usurpari solere in tali condicione pro infinitivo supra exposui. Ea vero lex esse observata videtur, ut, si quid dicitur cum directa ad tempus praesens relatione, praevaleat indicativus, si minus infinitivus.

Sententia primaria si est negativa, et actio quae ea continetur si secundaria, quae est futura, definitur, *πρίν* apud Aeschylum, sicut apud omnes scriptores, plerumque asciscit conjunctivum, eumque semper quidem aoristi addita particula *ἄν*, quae apud ceteros nonnumquam omittitur. „Multo vero fortior, ut Foersteri [1]) optima definitione utar, et quodammodo certior temporis determinatio est, quae conjunctivo quam quae infinitivo significatur.“ Ubi enim post *πρίν* conjunctivus occurrit, is qui loquitur eam temporis determinationem ponit, quam ex rerum natura atque condicione fore putat. Quod quam vere sit dictum statim ex primo exemplo elucebit. Prometheus vinctus cruciatus suos luget Jovisque mentem atrocem increpat his verbis (Prom. 162 sqq.):

ὁ δ' ἐπικότως ἀεὶ
θέμενος ἄγναπτον νόον
δάμναται οὐρανίαν
γένναν, οὐδὲ λήξει, πρὶν ἂν ἢ κορέσῃ κέαρ, ἢ παλάμᾳ τινὶ
τὰν δυσάλωτον ἕλῃ τις ἀρχάν,

ubi quum conjunctivo utatur certo temporis spatio interjecto,

---

1) Foerster l. l. pag. 13.

aut Jovem esse iram depositurum aut imperium amissurum se confidere indicat. — Ceterum, si locos, qui exhibent conjunctivum — non autem reperiuntur nisi in Prometheo fabula —, attente inspexerimus, plerumque praecedere aut tempus futurum aut imperativum inveniemus. Sic est futurum in enuntiato primario ejus loci quem modo exscripsi, est in Prom. 176:

(οὔποτε) *καταμηνύσω,*
πρὶν ἂν ἐξ ἀγρίων δεσμῶν χαλάσῃ
ποινάς τε τίνειν
τῆσδ' αἰκίας ἐθελήσῃ

et 595, ubi *οὐκ ἔστιν αἴκισμα ὅτῳ προτρέψεται* dictum pro *οὐδενὶ αἰκίσματι προτρέψεται.* Aoristi conjunctivum cum negatione *μή* qui habet significationem imperativi, exhibet locus Prom. 720:

ὃν (*ποταμὸν*) *μὴ περάσῃς*
πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς

imperativum merum Prom. 1031. Eo qui superest loco ibid. 757 perfectum legitur cum significatione praesentis:

νῦν δ' οὐδέν ἐστι τέρμα μοι προκείμενον
μόχθων, πρὶν ἂν Ζεὺς ἐκπέσῃ τυραννίδος

ubi in cod. G et aliis legitur *ἐκπέσοι* a nullo, quantum scio receptum. Merito certe, atque optimo jure. Neque enim quasi alterius hoc loco, sicut plerumque ubi *πρίν* optativo adjungitur, illa sententia a Prometheo pronuntiatur sed sua ipsius. Hanc eandem ob causam ex frg. 197:

πρὶν ἂν παλαγμοῖς αἵματος χοιροκτόνου
αὐτός σε χράνῃ Ζεὺς καταστάξας χεροῖν

ubi Hermannus optativum esse reponendum censet, conjunctivum esse depellendum haut crediderim.

II. De conjunctionis πρίν usu Sophocleo.

Ab usu conjunctionis *πρίν* Aeschyleo aliquantulum discessit Sophocles. Neque enim eadem ejus est, quae illius, constans conj. *πρίν* cum aoristi infinitivo conjungendae ratio, quippe qui septem de undeviginti locis posuerit infinitivum praesentis; praeterea apud eum usitatior est quam apud ceteros

tragicos structura conjunctionis *πρίν* cum modo aliquo finito. Nam ad duodeviginti locos, ubi in fabulis ejus exstat infinitivus, alii accedunt viginti septem, qui exhibent aut conjunctivum, aut optativum a ceteris poëtis scenicis plane spretum, ita tamen, ut longe praevaleat prior. Indicativum post *πρίν*, quo plane abstinuit Homerus, non usus est, nisi semel Aeschylus, ne Sophocles quidem plus uno loco adhibuit: OT 776:

ἡγόμην δ' ἀνὴρ
ἀστῶν μέγιστος τῶν ἐκεῖ, πρίν μοι τύχη
τοιάδ' ἐπέστη.

Cui, quum optime conveniant, quae exposui ad Aesch. Prom. 482, statim ad structuram cum infinitivo tractandam aggrediar.

Atque primum quidem sententias post *πρίν* invenimus, quibus nihil aliud significatur, nisi actionem quae iis continetur post perfectam sententiae primariae actionem aut certo evenire, aut eventuram verisimile esse. Hujusmodi locorum duo quidem in enuntiato priore exhibent indicat. praesentis, ut Trach. 4:

ἐγὼ δὲ τὸν ἐμὸν καὶ πρὶν εἰς Ἅιδου μολεῖν
ἔξοιδ' ἔχουσα δυστυχῆ τε καὶ βαρύν

et ibid. 396. Ejusdem temporis imperativus exstat in El. 20, aoristi in OC. 36 cum in utriusque loci sententia secundaria sit praesentis infinitivus rerum condicione postulatus.

El. 20: *πρὶν οὖν τιν' ἀνδρῶν ἐξοδοιπορεῖν στέγης*
ξυνάπτετον λόγοισιν.

OC. 36: *πρὶν οὖν τὰ πλείον' ἱστορεῖν ἐκ τῆσδ' ἕδρας*
ἔξελθε.

Priore quidem loco, quum jam illucescat, quo tempore ad diurnum laborem homines discedere soleant, ut, priusquam hoc fiat hominumque adventu turbentur, cum amico consilia communicet, paedagogus Orestem monet. Altero loco civis Thebanus orationem Oedipodis de regione locique natura ipsum interrogaturi interrumpit et e saxo, quod sedem ille sibi delegerat surgere locoque toto, quem pedibus calcare nefas sit, discedere eum jubet, priusquam plura dicere instituat. Optimo igitur jure utroque loco est praesentis infinitivus, quippe quo initium rei significetur. — Idem dicendum de loco OT. 104, in quo

πρίν cum infinitivo praesentis referendum est ad imperfectum *ἦν*. Aliarum sententiarum a part. *πρίν* pendentium ea est significatio, ut actiones quae iis continentur tantum sint cogitatae, quum perfectis jam enuntiatorum primariorum actionibus, quominus illae eveniant sit prohibitum. Quorum locorum omnium in sententia primaria est indicativus temporis alicujus praeteriti. Neque enim adversatur id, quod duobus locis positum esse videtur tempus praesens. Priore enim loco Antig. 1245, in quo ad *φρούδη* supplendum est *ἐστίν* hoc idem est ac *βέβηκε*, altero frg. 445 (Dind.) *προςφέρων* non praesentis, sed imperfecti esse participium perspicuum est. Reliquorum locorum in duobus quidem *πρίν* cum infinitivo subordinatum est indicativo aoristi: Phil. 370. Antig. 120:

ἔβα πρὶν ποθ' ἁμετέρων
αἱμάτων γένυσιν πλησθῆναι,

quem locum propterea exscripsi, quia addita est conjunctioni *πρίν* particula *ποτέ*, sicut apud Aeschylum Suppl. 38 legebatur *ὄλοιντο — πρίν ποτε ἐπιβῆναι.* Atque apud Homerum quidem vocula *ποτέ* duobus locis ζ 4, ο 225 addita est adverbio *πρίν*, quo significatio temporis praeteriti, quae est particulae *πρίν* propria firmari videtur, idemque valet *πρίν ποτε* ac vernaculum „bevor einmal". Qui vero in medio est locus Sophocleus, in eo *ποτέ* idem valet ac latinum „forte", vernacula lingua „bevor am Ende" sive „bevor wirklich". cf. Sept. 454. Soph. El. 17.

Perfectum *τέθνηκα*, de quo jam dixi ad Aesch. Sept. 1132 pag. 9 praecedit uno loco Trach. 1133:

Ὕλλος (1130) . . . *τέθνηκεν ἀρτίως νεοσφαγής.*
Ἡρακλῆς (1133) *οἴμοι· πρὶν ὡς χρῆν σφ' ἐξ ἐμῆς θανεῖν χερός;*

Proximum genus locorum id est, cujus in enuntiato secundario quidem sententia est enuntiati finalis negativi similis, quum praecedat plerumque imperativus [1]), ut Antig. 280. El. 1009. Trach. 1253. 1259, semel aoristi infinitivus Trach. 17, sed is pendens a verbo optandi *εὔχομαι.* Quod quo melius cognoscatur unum exemplum afferam manifestissimum Antig. 280:

παῦσαι, πρὶν ὀργῆς καί με μεστῶσαι λέγων.

1) Apud Aeschylum simili condicione semper praecedit optativus, haut ita admodum diversa ab imperativi significatione. (cf. pag. 10.)

Quibus verbis quum Creon chorum clementiam et temperantiam suadentem interpellat, poëta proximo versu mutata constructione pergit:

μὴ ἐφευρεθῇς ἄνους τε καὶ γέρων ἅμα

quam significationem etiam in enuntiato a *πρίν* pendente inesse nemo certe negabit. — Neque tamen illud esse praetermittendum videtur, quod hoc loco sicut Trach. 396 part. *πρίν* addita est vocula *καί*, quam arcte esse cum *πρίν* conjungendam Schneidewinius monet quum dicit: „*καί*" „ehe du mich gar erzürnst" „eng mit *πρίν* zu verbinden deutet an, die sichere Folge des Nichtaufhörens werde Kreons Zorn sein." Cui opinioni viri doctissimi quin obstem facere non possum, quum persuasum habeam, non tam cum part. *πρίν*, quam cum infinitivo *μεστῶσαι καί* esse conjungendum. Aliter res se habet loco El. 992 (cf. Tr. 4):

καὶ πρίν γε φωνεῖν, ὦ γυναῖκες, εἰ φρενῶν
ἐτύγχαν' αὕτη μὴ κακῶν, ἐσῴζετ' ἂν
τὴν εὐλάβειαν, ὥςπερ οὐχὶ σῴζεται,

ubi *καί* additum est particulae *πρίν* ad augendam eius vim. Similiter dicitur *καὶ πάλαι*, *καὶ εὐθύς*, *καὶ αὐτίκα* et semper significatio voculae *καί* est „auch schon" sive „auch noch". Praeterea hoc loco *πρίν* conjunctum est cum vocula *γε*, quae quum suppleat causamque indicet, ut cognoscatur ad sententiam praecedentem enuntiatum referendum esse addi videtur. Nostro igitur loco Chrysothemidis verba *καὶ πρίν γε φωνεῖν* ad *τῷ λέγοντι* spectant a choro dictum. Ceterum et loco El. 992 et ibid. 1132, qui etiam eo est memorabilis, quod *πρίν* ad adverbium *πάροιθε* praecedens referendum est, sententia primaria res continetur veritati contraria.

Restat, ut de tribus locis agam, quorum in sententia primaria inest negatio. Atque in primo quidem, qui est Aj. 1418 *πρίν* cum infinitivo subordinatum est praesentis indicativo, reliquis duobus, Trach. 197 et ibid. 632:

197 *τὸ γὰρ ποθοῦν ἕκαστος ἐκμαθεῖν θέλων*
οὐκ ἂν μεθεῖτο, πρὶν καθ' ἡδονὴν κλύειν
632 *δέδοικα γὰρ*
μὴ πρῷ λέγοις ἂν τὸν πόθον, τὸν ἐξ ἐμοῦ,
πρὶν εἰδέναι τἀκεῖθεν εἰ ποθούμεθα.

optativus potentialis. Quam ob rem ibi secundum usum (cf. Trach. 2. Eurip. Heracl. 180, frg. 803) exspectari oportebat aut conjunctivus, aut optativus.

His de particulae *πρίν* cum infinitivo apud Sophoclem structura expositis jam conjunctivum aggrediar, qui quum post *πρίν* locum habeat plerumque ubi actione futura, quae particula *πρίν* significatur, terminus definitur actionis ex tempore praesenti futurae, quae enuntiato primario, quod est negativum, continetur, a Sophocle saepius est usurpatus, quam a ceteris, quorum quidem ad nos pervenerunt scripta poëtis scenicis. Verum, quum dico „plerumque“ nonnullos respicio locos, in quibus, vere si volumus judicare, conjunctivo post *πρίν* nihil aliud significatur, nisi actionem primariam ante secundariam fieri, quam ad rem alias uti infinitivo scriptores solent, sicut infinitivum contra saepius esse adhibitum, ubi plus ipso temporum ordine significari perspicuum est. Temporum vero ac modorum haut ita tanta in sententiis, ad quas *πρίν* cum conjunctivo est referendum, quanta, ubi *πρίν* construitur cum infinitivo, varietas. Plerumque enim priore loco est aut praesentis aut futuri indicativus, aut imperativus aut aoristi conjunctivus cum significatione imperativi. Raro satis aoristi infinitivus praecedit, et is pendens a praesente, semel optativus potentialis cum significatione futuri. Atque praesentis quidem indicativum exhibent loci sex: Antig. 619. Aj. 107 sqq. ibid. 965. Trach. 946. OC. 47. frg. 149 (Dind.) quorum in Antig. 619:

εἰδότι δ' οὐδὲν ἕρπει
πρὶν πυρὶ θερμῷ πόδα τις προςαύσῃ

conjunctivus *προςαύσῃ* explicari Schneidewinio posse non videtur, quum *ἕρπει*, a quo ille pendeat, negatione careat, neque referri *πρὶν πυρὶ κτλ.* ad *οὐδὲν εἰδότι* possit. Dicit enim „auch würde bei der Verbindung *οὐδὲν εἰδότι* die Negation nur zu einem Worte, nicht zum ganzen Satze gehören und somit das nachfolgende *πρὶν προςαύσῃ* unstatthaft sein.“ Quomodo vero *πρὶν πυρὶ κτλ.* a voce *ἕρπει* etsi negativa addito *οὐδὲν*, pendeat, equidem non perspicio. Referri enim ad „*εἰδότι δ' οὐδὲν*“, „*πρὶν προςαύσῃ*“ et sententia verborum posci neque ullius in

structuram esse momenti vocem *ἕρπει*, quacum conjungendum esse *οὐδὲν* Hermanno videtur [1]), perspicuum est.

Ac ne illud quidem praetermittendum, sed hoc statim loco esse commemorandum mihi videtur, quod saepius quam ceteri poëtae scenici Sophocles in structura conjunctionis *πρίν* cum conjunctivo omisit particulam *ἄν*, ut in Antig. 619. Aj. 965. 742. Trach. 608. 946. Phil. 917. Frg. 572. 583^{b} (Dind.). Apud Aeschylum enim et Aristophanem *ἄν* numquam deest, apud Euripidem tribus tantum locis: Or. 1218. 1357. Alc. 849. De hac particulae *ἄν* omissione, quae copiosius disseruit Richterus, praecepta, ut videtur secutus, quae dedit Hermannus in Opusc. II 8, paucis quidem illis locis Homericis non tamen usui huic universo conveniunt. Dicit enim l. l. pag. 45: „Si autem illae (particulae *ἄν* sive *κέν*) omissae sunt, nulla adest condicio incerta;“ pauloque inferius „praeterquam *ἄν* particula numquam ad certas res spectat, sed incertam condicionem indicat.“ Eadem fere Hermanni sunt verba l. l. pag. 107: „Quod si comparare quis volet exempla, in quibus *πρίν* solum et *πρὶν ἄν* apud tragicos et Aristophanem leguntur, quae sedulo notata dedit Elmsleius ad Medeam p. 119 facile animadvertat, ubi *ἄν* additum est, semper aliquid incerti subesse.“ Atque equidem comparatis non solum tragicorum et Aristophanis verum etiam Thucydidis multorumque scriptorum exemplis in quibus *πρίν* solum et *πρὶν ἄν* leguntur, ut aliter de ea re sentirem atque Hermannus adductus sum. Neque enim quidquam discriminis intercedere inter utramque structuram persuasum habeo, quoniam permulta mihi innotuerunt exempla in quibus *πρὶν ἄν* a scriptoribus est usurpatum, ubi nihil subesse incerti manifestum est. An incertior inesse condicio putanda est in sententia secundaria loci OC. 909:

οὐ γάρ ποτ' ἔξει τῆςδε τῆς χώρας, πρὶν ἂν
κείνας ἐναργεῖς δεῦρό μοι στήσῃς ἄγων

quippe quae pendeat a *πρίν* cum particula *ἄν*, quam loci Eurip. Alcest. 849:

οὐκ ἔστιν ὅστις αὐτὸν ἐξαιρήσεται
μογοῦντα πλευρά, πρὶν γυναῖκ' ἐμοὶ μεθῇ.

1) Adnot. ad Eurip. Med. 215 ed. Elmsl. pag. 351.

ubi *πρίν* legitur solum? Utrique enim sine dubio conveniunt, quae ad Alcest. 851 annotata sunt ab Hermanno: „Cogitur enim reddere.“ Nullam porro Hermannus condicionem demonstrat subesse incertam in Phil. 917:

μὴ στέναζε, πρὶν μάθῃς

quum addit: „dicturus est enim Neoptolemus.“ Optime! Atqui ibid. 1409, ubi legitur:

μήπω γε (sc. *στείχῃς*), *πρὶν ἂν τῶν ἡμετέρων*
αἴῃς μύθων, παῖ Ποίαντος

item dicturus est Hercules „certumque instat factum, quod eo ipso non debuit per *ἄν* incertum fieri,“ siquidem vera sunt Hermanni praecepta ne his quidem duobus locis Sophocleis convenientia: OT. 1529:

ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών

et Frg. 572 (Dind.):

οὐ χρή ποτ' εὖ πράσσοντος ὀλβίσαι τύχας
ἀνδρός, πρὶν αὐτῷ παντελῶς ἤδη βίος
διεκπερανθῇ καὶ τελευτήσῃ βίον,

quorum in utroque agitur de re certa, quamquam iu altero est *πρίν* solum, in altero *πρίν ἄν* [1]). Possum multa in hanc rem afferre exempla ut Andocid. *Π. τ. μυστ.* 7. Lysias *Π. τ. Ἀριστοφ. χρημ.* 5. *Κ. τ. σιτοπωλ.* 4. Demosthenes *Κ. Φιλ. Α.* 41. *Κ. Ἀριστοκρ.* 179. Thucyd. II 6. IV 97. VI 71, de quibus singulis dicere infinitum est. Quae quum ita sint nihil omnino interesse utrum *πρίν* solum usurpetur, an addita particula *ἄν* persuasum habeo.

Particula *γέ*, quam additam ad *πρίν* constructum cum infinitivo reperimus in El. 992, Aesch. Sept. 1032, cum indica-

1) Etiam **Matthiaeus** idem discrimen intercedere inter πρίν solum et πρὶν ἄν statuit quum dicit Gr. Gr. § 522, 2: „So steht πρίν mit dem Conjunctiv und ἄν, welches eben anzeigt, dass die Handlung unter Umständen erfolgen oder nicht erfolgen wird. Ist dagegen der durch πρίν angegebene Zeitpunkt ein wirklich einmal eintretender, so wird ἄν beim Conj. ausgelassen.“

tivo Prom. 482, ne a conjunctivo quidem, si conjunctus est cum particula *ἄν* est aliena, sicut docet locus OC. 47:

ἀλλ' οὐδ' ἐμοί τοι τοὐξανιστάναι πόλεως
δίχ' ἐστὶ θάρσος, πρίν γ' ἂν ἐνδείξω τί δρῶ

„expellere non audeo, prius quidem, quam“. In responso, post ipsam statim negationem, quod est usitatissimum, *πρίν γε* exhibet locus Trach. 415:

Λίχας: *ἄπειμι· μῶρος δ' ἦν πάλαι κλύων σέθεν.*
Ἄγγελος: *οὔ, πρίν γ' ἂν εἴπῃς ἱστορούμενος βραχύ.*

Infinitivus praesentis est in sententia primaria loci OT. 1529 quem jam supra pag. 18 exscripsi. Cujus infinitivi *ὀλβίζειν* in explicatione erravisse Schneidewinius mihi videtur, qui et *ἐπισκοποῦντα ἰδεῖν* (indem man Acht giebt zu erschauen) conjunxerit cum *ὀλβίζειν*, et hunc infinitivum ipsum pendere a *χρή* subaudiendo censuerit. Mihi vero *ἐπισκοποῦντα ἰδεῖν* esse conjungendum cum *θνητὸν ὄντα*, et infinitivus *ὀλβίζειν* cum significatione imperativi positus videtur, quam ob rem ne Nauckii quidem mutatio verbi *ἰδεῖν* in *χρεών*, Dindorfio probata, est necessaria.

Ad indicativum futuri *πρίν* cum conjunctivo est referendum locis quatuor: Antig. 308 de quo inferius agam, OC. 909. 1041. Trach. 608, ad aoristi infinitivum eumque pendentem a tempore praesente tribus Antig. 176. Phil. 1332. Frg. 572 quorum de primo Elmsleius ad Eurip. Med. v. 215 recte dicit *ἀμήχανον ἐκμαθεῖν* idem esse ac si poëta dixisset *οὐκ ἂν ἐκμάθοις* ut in Trach. 2, et addit „Negativam particulam in adjectivo *ἀμήχανον* includi, vix opus est ut moneam.“

Conjunctivus praesentis aut aoristi, ut apud Aeschylum, sic ne apud Sophoclem quidem in sententia primaria est, nisi cum significatione imperativi locis tribus: Phil. 330:

φράσῃς μοι μὴ πέρα, πρὶν ἂν μάθω,

ibid. 1409, Frg. 583^b:

μήπω μέγ' εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς.

Restat ut de duobus locis, Antig. 308 et Aj. 107 sqq. paucis disseram, qui eo sunt memorabiles, quod in sententia utriusque secundaria, quamquam primaria est negativa et *πρίν* sequitur conjunctivus, tamen non inesse condicionem verum ipsum actio-

num ordinem significari est manifestum. Sed quo planior res fiat, ipsa loci prioris verba exscribamus, quae sunt haec:

ἀλλ᾽ εἴπερ ἴσχει Ζεὺς ἔτ᾽ ἐξ ἐμοῦ σέβας,
εὖ τοῦτ᾽ ἐπίστασ᾽, ὅρκιος δέ σοι λέγω,
εἰ μὴ τὸν αὐτόχειρα τοῦδε τοῦ τάφου
εὑρόντες ἐκφανεῖτ᾽ ἐς ὀφθαλμοὺς ἐμούς,
οὐχ ὑμιν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει πρὶν ἂν
ζῶντες κρεμαστοὶ τήνδε δηλώσηθ᾽ ὕβριν.

Quae verba Creontis, qui in homines, quibus custodiendum Polynicis corpus mandaverat invehitur, sic intelligenda esse „priusquam ad supplicium vos tradam, flagris antea caedendos curabo," neque condicionem iis contineri ullam, nonne luce est clarius? Idem sensisse Schneidewinius videtur, qui hujus loci sententiam ita explicat: „Nicht der einfache Tod soll für die Thaeter" (immo vobis, id est choro) „genügen, sondern sie sollen vorher gefoltert werden."

Idem valet in alterum locum Aj. 106 sq.:

Αἴας. . . . *θανεῖν γὰρ αὐτὸν οὔ τί πω θέλω.*
Ἀθηνᾶ. *πρὶν ἂν τί δράσῃς ἢ τί κερδάνῃς πλέον;*
Αἴας. *πρὶν ἂν δεθεὶς πρὸς κίον᾽ ἑρκείου στέγης —*
Ἀθηνᾶ. *τί δῆτα τὸν δύστηνον ἐργάσει κακόν;*
Αἴας. *μάστιγι πρῶτον νῶτα φοινιχθεὶς θάνῃ.*

cujus sententia est „flagellis primum eum caedam, tum demum interficiam." Quae quum ita sint a veritate aliquantulum abhorrere videntur, quae Elmsleius ad Euripidis Medeae v. 215 disseruit: „Minime autem, inquit, praetermittendum est in hac disputatione, pro subjunctivo haut raro usurpari infinitivum, licet subjunctivus pro infinitivo numquam, quod sciam, usurpetur." Certe enim in utroque eorum qui in medio sunt locorum conjunctivus usurpatus est pro infinitivo, quem exspectari secundum usum oportebat, positumque invenimus simili condicione in Euripidis Rhes. 62. Med. 94.

Optativus post *πρίν*, a ceteris poëtis scenicis plane spretus, quinquies in fabulis Sophocleis nobis occurrit post sententias negativas iisdem fere quibus conjunctivus condicionibus. Sed quoniam hic modus solam cogitationem rei significat, proprius est orationis obliquae. Obliquam enim orationem vocamus eam, qua non quid sit, sed quid cogitet quis esse indicatur. Ita plerumque si optativus est usurpatus, non ejus qui dicit, sed alterius sententia finisque et consilium quod ejus menti propositum erat, significatur, ut in Aj. 551:

ἔδοξέ μοι μὴ σῖγα, πρὶν φράσαιμί σοι
τὸν πλοῦν ποιεῖσθαι,

et in Phil. 197. Qua optativi vi ac significatione ductus etiam Dindorfius in Ajace 742:

τὸν ἄνδρ᾽ ἀπηύδα Τεῦκρος ἔνδοθεν στέγης
μὴ ᾽ξω παρήκειν, πρὶν παρὼν αὐτὸς τύχῃ

τύχοι pro *τύχῃ* ex cod. *Γ* recepisse videtur. Quae lectio quamvis non sit inepta, tamen neque necessaria est, et sententiam loci perturbat. Nam refertur quidem Teucri sententia et dictum, neque tamen quasi incertum quoddam aut cogitatum tantum, sed pro certo eventurum, quod conjunctivo solere significari, ut alii, docent loci Homerici *Ω* 779. *Σ* 189.

Praeclare autem Langius (l. l. p. 38) quae sit in optativo vis et significatio his explicat: „Der Optativ ist der Modus der Einbildungskraft" et ibid. pag. 88: „Ueberall wo er erscheint, sei es in Finalsätzen und nach *μή*, sei es in Relativ- und Temporalsätzen, sei es in Fragesätzen, einfachen oder doppelten, entspringt er der Thätigkeit der Phantasie, Einbildungskraft." Quae definitio optime convenire mihi videtur reliquis tribus locis Sophocleis in quibus est optativus. Quorum unus quidem in sententia primaria exhibet optativum potentialem cum vocula *ἄν*: OT. 505:

ἀλλ᾽ οὔποτ᾽ ἔγωγ᾽ ἄν, πρὶν ἴδοιμ᾽ ὀρθὸν ἔπος
μεμφομένων ἂν καταφαίην,

alter Trach. 567 et Phil. 961:

ὄλοιο — μήπω, πρὶν μάθοιμ᾽ εἰ καὶ πάλιν
γνώμην μετοίσεις

formulam optationis.

III. De usu particulae πρίν Euripideo.

Perventum est ad Euripidem. Apud hunc sicut apud Aeschylum longe praevalet structura cum infinitivo saepiusque

quam apud ceteros reperitur indicativus. De nonaginta enim duobus locis, in quibus legitur *πρίν* sexaginta quinque exhibent infinitivum, conjunctivum quidem undeviginti, indicativum sex. Ab ea vero lege, qua obstricti omnes fere scriptores in particula *πρίν* cum infinitivo construenda usi sunt aoristi infinitivo, sexies tantum, neque sine justa causa Euripides digressus est, quum tribus locis: Med. 79. Phoen. 1145. El. 1069 poneret perfecti infinitivum, tribus praesentis: Med. 1157. Andr. 577. Or. 1095, quorum in primo quidem infinitivus *ἀπεῖναι* non tam praesentis, quam praeteriti esse videtur idemque significare ac *οἴχεσθαι*, cui semper inesse praeteriti notionem constat (cf. Kruegerus Gr. Gr. 531, 4); in secundo vero Andr. 577:

χαλᾶν κελεύω δέσμα πρὶν κλάειν τινά

et in tertio Or. 1095:

ὃς πρὶν μὲν ὑμᾶς δυςτυχεῖν φίλος παρῆν

sicut in locis Aeschyleis et Sophocleis quos supra tractavi, praesentis infinitivo initium rei indicatur: „Priusquam efficiam, ut flere aliquis incipiat“ et „priusquam rebus adversis urgeri inciperetis.“ De significatione infinitivi perfecti ab Elmsleio ad Medeae v. 79:

ἀπωλόμεσθ' ἄρ' εἰ κακὸν προςοίσομεν
νεὸν παλαιῷ, πρὶν τόδ' ἐξηντληκέναι,

accuratissime haec sunt observata: „Notandum *πρὶν ἐξηντληκέναι*. Noster *πρὶν κατεξάνθαι* dixit Phoen. 1145, *πρὶν κεκυρῶσθαι* El. 1069. Inter *πρὶν δειπνῆσαι* et *πρὶν δεδειπνηκέναι* hoc interest, quod *δεδειπνηκέναι* a coenante, *δειπνῆσαι* vero a coenaturo dicitur. Ab utroque diversum est *πρὶν δειπνεῖν*, quod non priusquam coenavero significat, sed priusquam coenatum eo.“ Ad quam explicationem Elmslei ipsi probatam adnotat G. Hermannus: „Accuratius tamen dixisset, ut nobis videtur, perfecto statum indicari, qui factum sequitur, aoristo perfectionem rei, praesente initium, itaque *πρὶν δεδειπνηκέναι* esse priusquam a coena surrexero; *πρὶν δειπνῆσαι*, priusquam coenavero; *πρὶν δειπνεῖν*, priusquam coenem. Sic *πρὶν ἐμπεπρῆσθαι*, priusquam quid ardeat; *πρὶν ἐμπρησθῆναι*, priusquam exarserit; *πρὶν ἐμπίμπρασθαι*, priusquam incendatur.“

Qua aptissima virorum doctorum explicatione nostris locis adhibita, in Med. 79 *πρὶν τόδ' ἐξηντληκέναι* vertendum „priusquam hac calamitate perfuncti respiraverimus“, ut status significetur, qui factum sequitur. Similiter in Phoen. 1145 et El. 1069.

Ceteris locis post *πρίν* usurpatus est aoristi infinitivus sententia praecedente plerumque affirmativa, quater tantum negativa ut Med. 94, ubi praecedit indicativus futuri cum negatione, de quo loco jam supra dixi ad Aesch. Sept. 268 pag. 9, et Herc. fur. 605 de quo inferius agetur. Accedunt duo loci: Rhes. 62:

εἰ γὰρ φαεννοὶ μὴ ξυνέσχον ἡλίου
λαμπτῆρες, οὐκ ἂν ἔσχον εὐτυχοῦν δόρυ,
πρὶν ναῦς πυρῶσαι, καὶ διὰ σκηνῶν μολεῖν
κτείνων Ἀχαιοὺς τῇδε πολυφόνῳ χερί,

et Alc. 358:

εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν,
ὥστ' ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν
ὕμνοισι κηλήσαντα σ' ἐξ Ἅιδου λαβεῖν
κατῆλθον ἄν. καί μ' οὐθ' ὁ Πλούτωνος κύων,
οὐθ' οὑπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς ἂν Χάρων
ἔσχον, πρὶν εἰς φῶς σὸν καταστῆσαι βίον.

de quibus Elmsleius ad Eurip. Med. 215 haec dicit: „Nullus hic subjunctivo locus est, neque ut mihi videtur optativo. Postulat linguae indoles, ut aut infinitivus adhibeatur, aut indicativus, *κατέστησα*, *ἐπύρωσα*, *ἔμολον*. Demosthenes adv. Leptinem p. 555 C: *χρῆν τοίνυν Λεπτίνην μὴ πρότερον τιθέναι τὸν ἑαυτοῦ νόμον, πρὶν ἢ παλαιὸν τοῦτον ἔλυσε γραψάμενος.*“ Optime. Nam quum agatur utroque loco de re ex tempore praesenti praeterita, quamquam quae omnino locum non habuerit, post *πρίν* adhibendus erat aut indicativus aut sicut factum est infinitivus. Tribus locis Ion 524. Rhes. 684. Andr. 1069 quamquam sententia primaria exhibet negationem, tamen sensus est affirmativus, ut semper in talibus interrogationibus, qui habent significationem imperativi. cf. Andr. 1069:

. . . . οὐχ ὅσον τάχος
χωρήσεταί τις Πυθικὴν πρὸς ἑστίαν

καὶ τἀνθάδ' ὄντα τοῖς ἐκεῖ λέξει φίλοις,
πρὶν παῖδ' Ἀχιλλέως κατθανεῖν ἐχθρῶν ὕπο;

ubi *οὐ χωρήσεταί τις* cum interrogatione idem esse quod *χωρησάτω τις* nemo certe nescit. cf. Aristoph. Ran. 480. Eccl. 620. His locis, quos modo attuli exceptis *πρίν* cum infinitivo, quo plerumque nihil aliud indicatur, nisi actionem primariam ante secundariam fieri, a sententiis pendet affirmativis.

Permulta apud Euripidem sunt exempla in quibus indicativus futuri praecedit, velut Iph. Aul. 970:

τάχ' εἴσεται σίδηρος, ὃν πρὶν ἐς Φρύγας
ἐλθεῖν, φόνου κηλῖσιν αἵματος χρανῶ.

Ion 1414. (Ion 524. Med. 79. 94. Rhes. 684. Andr. 1069 jam supra tractata). Rhes. 223. Andr. 268. Frg. 688 (Dind.). Bacch. 1149 [1]), satis multa in quibus indicativus praesentis, ut Rhes. 76:

Ἕκτορ, ταχύνεις πρὶν μαθεῖν τὸ δρώμενον.

Suppl. 469. 696. Heracl. 288. Med. 220:

δίκη γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν
ὅστις, πρὶν ἀνδρὸς σπλάγχνον ἐκμαθεῖν σαφῶς,
στυγεῖ δεδορκώς, οὐδὲν ἠδικημένος.

quem locum propterea integrum posui, quod et Eustathius pro *ἐκμαθεῖν* scribi vult *ἐκμάθῃ* et Porsonus „utraque“ inquit „lectio proba“. Qui viri doctissimi error jam ab Elmsleio notatus, qui dicit: „Subjunctivum non usurpant tragici (immo, omnes qui Graece scripserunt), nisi in priore membro, quod hic est *ὃς στυγεῖ δεδορκώς* adsit negandi aut prohibendi significatio.“

Uno loco Helen. 322:

πρὶν δ' οὐδὲν ὀρθῶς εἰδέναι, τί σοὶ πλέον
λυπουμένῃ γένοιτ' ἄν;

infinitivus cum *πρίν* pendet ab optativo aoristi cum vocula *ἄν*

1) Passow s. v. εἶμι: „Der Indicativ Praesentis wird bei den Attikern mit seltenen Ausnahmen (z. B. bei Thucyd. IV 61 oft noch bei Dichtern, z. B. Aeschylus, cf. Herm. Op. II p. 320) in der Bedeutung des Futurs gebraucht, indem die Praesensbedeutung durch ἔρχομαι ergänzt wird. Ebenso haben das Particip und der Infinitiv zuweilen den Sinn des Futurs.“

consociato, quem habere futuri significationem scimus. Quamquam vero sententia primaria caret particula negativa, tamen huic interrogationis formae inesse negandi vim notum est. Quare post tales interrogationes etiam legitur conjunctivus, velut Heracl. 180:

τίς ἂν κρίνειεν ἢ γνοίη λόγον,
πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς [1]);

ubi *τίς ἂν κρίνειεν* idem valet, ac *οὐδεὶς ἂν κρίνειεν.* Videtur autem ipso futuro tempore res ut certa enuntiari, optativo vero et *ἄν* ut talis, quae videatur futura esse, si impleatur illa, ex qua pendet, condicio.

Conjunctivum, cujus usum deliberativum in interrogationibus maxime cernimus, qui neque apud tragicos, neque apud Aristophanem ipsum, nisi in hoc uno exemplo, praecedens part. *πρίν* cum infinitivo legitur, exhibet sententia primaria loci: Herc. Fur. 936:

πάτερ τί θύω πρὶν κτανεῖν Εὐρυσθέα;

Perfectum uno loco praecedit Hecub. 431 (cf. ad Aesch. Sept. 1132 pag. 9), uno perfectum quod dicimus secundum: ibid. 433.

Jam sequuntur tres loci ubi *πρίν* cum infinitivo referendum est ad imperativum aoristi: Iph. Taur. 774:

κόμισαί μ' ἐς Ἄργος, ὦ σύναιμε, πρὶν θανεῖν

cf. Med. 1253. Phoen. 723, quibus similis est locus Herc. Fur. 605 qui exhibet conjunctivum aoristi cum significatione imperativi:

. . . πόλιν δὲ σὴν
μὴ πρὶν ταράξῃς, πρὶν τόδ' εὖ θέσθαι τέκνον.

Neque praetermittendum, quod ad Aristophan. Pacem 1112, ubi secundum nonnullorum codicum scripturam idem legitur *πρίν — πρίν* quod hoc loco Euripideo et altero Frg. 462, 5 (Dind.), Hermannus (ad Viger. 443) post *πρίν — πρίν* semper poni infinitivum docuit. Aptius, ut mihi videtur dixisset,

1) Proverbialiter, ut videtur, dictum. cf. Aristoph. Vesp. 725:
ἦ που σοφὸς ἦν ὅστις ἔφασκεν, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς
οὐκ ἂν δικάσαις.

πρίν respiciens ad propinqua similis significationis adverbia, apud Homerum, tragicos, Aristophanem non fere inveniri nisi constructum cum infinitivo; apud oratores vero ceterosque scriptores aetate posteriores conjunctivum ibi et indicativum invaluisse (cf. Andoc. *K. 'Αλκιβ.* 1. Lysias *Π. Ἁρμ. περὶ 'Ιφικρ. δωρ.* Frg. 12. Demosth. *K. 'Αριστοκρ.* 187 exhibentes infinitivum; conjunctivum aut indicativum Andocid. *Π. τ. μυστ.* 7. *Κατὰ 'Αλκιβ.* 17. Lysias *Πρ. Σίμωνα* 7. *K. τ. σιτοπώλ.* 4. Demosth. Phil. A 41. C 61. *Κατ' 'Ανδροτ.* 15. Xenoph. Cyrop. I 2, 8. IV 5, 13. VI 4, 11. VII 1, 17).

Non jam ipsa temporum consecutio rerumque cursus conjunctione *πρίν* describitur, verum inest ei vis quaedam finalis, de qua jam apud Aeschylum et Sophoclem disserui, ita ut sententia non perturbata *πρίν* mutari posset cum conjunctione *μή* finali. Hujusmodi loci, qui sunt creberrimi, in sententia primaria plerumque exhibent imperativum, aut alium modum ejusdem significationis, aut formulam optationis; velut Med. 183:

> *σπεῦσον δέ τι πρὶν κακῶσαι*
> *τοὺς εἴσω.*

ibid. 289:

> *ταῦτ' οὖν πρὶν παθεῖν φυλάξομαι.*

Hippol. 364:

> *ὀλοίμαν ἔγωγε, πρὶν σᾶν, φίλα,*
> *κατανύσαι φρενῶν,*

ibid. 603. Ion 846. Hecub. 498. Herc. fur. 847. Cycl. 597. Phoen. 970. Rhes. 721. Frg. 789. Proximum genus exemplorum id est, ubi enuntiatum primarium habet temporis praeteriti indicativum. Atque tum quidem sententia secundaria non continetur actio futura aut cogitata tantum, id quod grammatici statuerunt, ubi infinitivus usurpatur post part. *πρίν*, sed praeterita, re vera perfecta. Quod quam recte sit dictum probatur locis: Ion 546:

> *ἐσθλοῦ δ' ἔκυρσα δαίμονος, πρὶν ἐς πόλιν*
> *μολεῖν 'Αθηνῶν χὐπὸ μητρυιὰν πεσεῖν.*

Phoen. 400:

> *πόθεν δ' ἐβόσκου πρὶν γάμοις εὑρεῖν βίον;*

Ion 1269. Med. 1145. Andr. 296. Phoen. 1596 [1]). El. 311. Suppl. 930. Herc. fur. 29. 827. Helen. 476, quibus locis omnibus inter actionem sententiae primariae et secundariae eandem intercedere condicionem, quam in OT. 776. Aesch. Prom. 482. Eurip. Iphig. Aul. 489 all., ubi post *πρίν* positus est indicativus, neminem certe esse negaturum puto.

Indicativo post *πρίν* Euripidem saepius quam ceteros poetas scenicos usum esse jam supra commemoravimus. Ac si illos locos, quos modo tractavi cum iis comparaverimus, in quibus, eadem inter utramque sententiae partem condicione intercedente, Euripides usurpavit indicativum, singularibus certe causis ductum hac structura apud poëtas alioquin admodum rara tam saepe eum usum esse reperiemus. Quo planior res fiat omnia exempla ad eam ipsam de qua agitur rem pertinentia afferam. Omnino vero Euripides hanc structuram adhibuit locis septem: Med. 1173. Rhes. 294. 568. Alc. 131. Andr. 1147. Hecub. 133. Iphig. Aul. 489. Quos diligenter et attente si inspexerimus, tum semper indicativo *πρίν* adjunctum esse inveniemus, quum audientium animos commovere in consilio poëtae fuisse verisimile est, quem et operosius aliquid et vehementius moliri ad movendos animos esse solitum, et quotidiani sermonis usum in deliciis habuisse omnes consentiunt. Quid? quod duobus locis *πρίν* asciscit non praeteriti temporis, sed praesentis indicativum? Hic habetis locos: Med. 1171:

> *καί τις γεραιὰ προςπόλων, δόξασά που*
> *ἢ Πανὸς ὀργὰς ἤ τινος θεῶν μολεῖν,*
> *ἀνωλόλυξε, πρίν γ' ὁρᾷ διὰ στόμα*
> *χωροῦντα λευκὸν ἀφρόν.*

1) Phoen. 1596: ὃν καὶ πρὶν ἐς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν
ἄγονον 'Απόλλων Λαΐῳ μ' ἐθέσπισε
φονέα γενέσθαι πατρός.

Hanc librorum scripturam μ' ἐθέσπισε ceteris probatam Kirchhoffius mutat in Λαΐῳ 'τεθεσπίκει. Quum vero uno loco Aristophaneo excepto (Plut. 737), ubi legitur Plusqperf. ἀνεστήκει quod, quum habeat imperfecti significationem nullius est momenti, hoc tempus ante sententias pendentes a part. πρίν non inveniatur, contra apud Aristophanem in Ran. 1184 legatur: ὅντινά γε πρὶν φῦναι μὲν 'Απόλλων ἔφη κτλ. librorum scripturam servandam esse puto.

et Hecub. 133:

σπουδαὶ δὲ λόγων κατατεινομένων
ἦσαν ἴσαι πως, πρὶν ὁ ποικιλόφρων
κόπις, ἡδυλόγος, δημοχαριστὴς
Λαερτιάδης πείθει στρατιάν.

Ac ne ab iis quidem locis, qui exhibent post *πρίν* tempus praeteritum, eam quam dedi indicativi explicationem alienam esse quum aliis exemplis probatur, tum eo quod est in Andr. 1147:

. . . . *ἐν εὐδίᾳ δέ πως*
ἔστη φαεννοῖς δεσπότης στίλβων ὅπλοις,
πρὶν δή τις ἀδύτων ἐκ μέσων ἐφθέγξατο
δεινόν τι καὶ φρικῶδες, ὦρσε δὲ στρατὸν
στρέψας πρὸς ἀλκήν.

Pergamus jam ad conjunctivum. Qui quum apud Euripidem undevicies inveniatur semper positus est post enuntiata negativa semperque fere asciscit particulam *ἄν*. Atque sexies quidem *πρίν* conjunctivo pendet ab indicativo futuri, ut Iphig. Aul. 324:

οὔ (sc. *ἀπαλλάξομαι*) *πρὶν ἂν δείξω γε,*

ubi, quod plerumque in responsionibus fieri docui, conjunctioni *πρίν* addita est particula *γε*. cf. Iph. Taur. 1302. Cycl. 558. Med. 276. Alc. 849 ubi part. *ἄν* deest, Herc. fur. 866.

Optativum aoristi addita particula *ἄν* cum significatione futuri exhibet sententia primaria duorum locorum: Frg. 803 et Heracl. 180:

τίς ἂν δίκην κρίνειεν ἢ γνοίη λόγον
πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς;

quem Elmsleius laudat, ubi disserit de locis particulam quidem negativam in sententia primaria non exhibentibus, neque tamen affirmativum sensum sed negativum praebentibus.

Conjunctivus, qui dicitur deliberativus, qui a futuro eo tantum discrepat, quod per eum quasi conjectura aliqua de eo quod debeat fieri indicatur est in sententia, a qua *πρίν* cum conjunctivo pendet, in Iph. Taur. 20:

οὐ μὴ ναῦς ἀφορμήσῃ χθονὸς
πρίν ἂν κόρην σὴν Ἰφιγένειαν Ἄρτεμις
λάβῃ σφαγεῖσαν.

Sequuntur jam loci tres, in quibus *πρίν* cum conjunctivo ut membrum subordinatum, ad conjunctivum addita particula *μή* finem et consilium significantem, referendum est, ut Iph. Aul. 540 ubi *ἄν* est omissum, Orest. 1357. 1218:

φύλασσε δ', ἥν τις, πρὶν τελευτηθῇ φόνος
ἢ ξύμμαχός τις, ἢ κασίγνητος πατρὸς
ἐλθὼν ἐς οἴκους φθῇ.

Hoc loco Elmsleius *φύλασσε, δ' ἥν τις* scriptum esse pro *φύλασσε μή τις* recte monere, neque Hermanno esse assentiendum videtur, qui in verbo *φθάνω* quaerendam esse negationem censet (cf. adnot. ejus ad Elmsl. Eurip. Med. v. 215 pag. 351), et Simonidis Frg. 231 (Bergk I 12) laudat, ubi est:

φθάνει δὲ τὸν μὲν γῆρας ἄζηλον λαβὸν,
πρὶν τέρμ' ἵκηται.

quo probari sententiam suam opinatur. Alia, et ut mihi quidem videtur, melior Matthiaei est sententia qui dicit (Gr. Gr. pag. 1011—12): „Sehr selten steht *πρίν* cum Conj. nach bejahenden Sätzen, wie Simonid. in Brunck gnom. N. 4 v. 11 Gaisf. Poët. Gr. min. N. 231 *φθάνει* etc. Denn *φθάνει λαβόν* heisst bloss 'prius comprehendit' und kann keine Negation enthalten." Cui opinioni assentitur Foersterus, in Miscell. Philol. Vratisl. 1865, quum dicit: „Neque in loco Simonidis Amorgini Fr. 1, 11 (p. 576 B) *φθάνει δὲ* etc., quum enuntiatio primaria negatione careat, *ἱκέσθαι* formam unice veram reponere dubito. Praeterea, quamvis conjunctio *πρίν* respondens verbo *φθάνω*, praesertim apud Thucydidem et Xenophontem, saepe inveniatur, tamen semper asciscit infinitivum neque umquam coniunctivum ac ne indicativum quidem. cf. Thucyd. IV 79. 104. VI 71. VIII 12. Xenoph. Cyrop. II 4, 25. III 2, 4. IV 1, 3. V 4, 38. Quae quum ita sint in verbo *φθάνω* inesse negandi vim equidem haut crediderim.

Atque huic quidem generi quod modo tractavimus, proximum illud est, in quo *πρίν* cum infinitivo subordinatum est praesentis aut aoristi infinitivo qui ipse a verbo dicendi pendet velut Med. 680:

Μη. *τί δῆτ' ἔχρησε; λέξον, εἰ θέμις κλύειν.*
Αἰ. *ἀσκοῦ με τὸν προύχοντα μὴ λῦσαι πόδα,*

Μη. πρίν ἂν τί δράσῃς ἢ τίν' ἐξίκῃ χθόνα;
Αἰ. πρίν ἂν πατρῴαν αὖθις ἑστίαν μόλω.

Andr. 161. Troad. 510. Heracl. 865.

Sequitur genus locorum illud, in quo verbum enuntiationis primariae aut est imperativus, ut El. 995:

. . . . ὧδέ τις κακοῦργος ὢν
μή μοι, τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
νικᾶν δοκείτω τὴν νίκην, πρὶν ἂν πέλας
γραμμῆς ἵκηται καὶ τέλος κάμψῃ βίου.

aut conjunctivus prohibitivus cum significatione illius, ut Ion 770:

Πα. μήπω στενάξῃς, *Κρ.* ἀλλὰ πάρεισι γόοι.
Πα. πρὶν ἂν μάθωμεν *Κρ.* ἀγγελίαν τίνα μοι;
Πα. εἰ ταὐτά κτλ.

Reliquum est, ut de duobus locis paucis disseram, quorum in utroque legimus οὔπω — — πρίν, quod etiam apud Herodotum invenitur (cf. I 32). Atque in altero quidem Alc. 145:

οὔπω τόδ' οἶδε δεσπότης, πρὶν ἂν πάθῃ

aut praesens esse pro futuro intellegendum, aut quod est verisimilius, ellipsis statuenda videtur, ita ut ex verbis οὔπω οἶδε δεσπότης supplendum sit οὐδὲ γνώσεται, altero loco ibid. 1145:

οὔπω θέμις σοι τῆςδε προςφωνημάτων
κλύειν, πρίν ἂν θεοῖσι τοῖσι νερτέροις
ἀφαγνίσηται καὶ τρίτον μόλῃ φάος.

cujus de particulae ἄν significatione conferatur, quaeso Ω 781, conjunctivus ad infinitivum, pendentem a θέμις ἐστί referendus est.

IV. De particulae πρίν usu Aristophaneo.

Pertractatis quae de tragicorum usu in particula πρίν construenda observavi ad Aristophanem aggrediar comicum, ut quomodo differat comicorum usus a tragicis, quomodo cum eo congruat cognoscatur. Atque primum quidem illud monendum, ne apud Aristophanem quidem praevalere usum conjunctivi, sed sicut apud Aeschylum, Euripidem infinitivi, nusquam usurpatum esse optativum, indicativum semel Av. 700:

πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθάνατον, πρὶν Ἔρως ξυνέμιξεν
ἅπαντα.

Saepius vero quam tragici Aristophanes perfecti infinitivo post πρίν indulsit, quem octies posuit eadem, qua illi, condicione, id est, ut status indicaretur, qui factum sequitur, ut dicit Hermannus. Atque duobus quidem locis perfecti infinitivus ad praesentis indicativum est referendus ut Av. 1034:

καὶ πέμπουσιν ἤδη 'πισκόπους
ἐς τὴν πόλιν, πρὶν καὶ τεθύσθαι τοῖς θεοῖς

cf. Frg. 243 (Dind.) πρὶν δεδειπνάναι „priusquam a coena surrexero"; duobus ad imperativum ejusdem temporis, ut Lysistr. 322: πέτου, πρὶν ἐμπεπρῆσθαι „priusquam quid ardeat". cf. Eq. 761; ad aoristi conjunctivum duobus Vesp. 1156: ἵν' ἐξέλῃς με, πρὶν διεῤῥυηκέναι; uno ad infinitivum aoristi Pax 375: δεῖ γὰρ μυηθῆναί με πρὶν τεθνηκέναι; ad futuri indicativum uno Ran. 1184:

ὅντινά γε πρὶν φῦναι μὲν Ἀπόλλων ἔφη
ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι.

Idem praesentis infinitivum ter admisit, ut initium rei indicaretur. cf. Thesm. 308:

περίθου νῦν τόνδε πρῶτον πρὶν λέγειν

„priusquam loqui incipias", ubi πρίν respondet adverbio praecedenti πρῶτον, sicut πρῶτα in Eq. 542: ἔφασκεν] ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν „priusquam gubernaculi appetendi cogitationem suscipias." Pax 1296.

Neque illud esse praetermittendum mihi videtur, quod saepius apud Aristophanem quam apud tragicos invenitur πρίν particula respondens adverbio alicui propinquo. Nam praeter locos Thesm. 308 et Eq. 542, quos modo attuli haec structura invenitur locis octo: πρῶτον Ach. 338, πρότερον aut adjectivum πρότερος Av. 700. Eq. 761. Ran. 673. Eccl. 589. 620. 649, πρόσθε Nub. 780. Locum Pax 1112 propterea non enumeravi, quod codd. VRT scripturam προςδιδόναι (cf. 1111) servandam puto contra ceterorum, qui habent πρίν διδόναι, πρίν.

Ceterum locorum Aristophaneorum, ubi πρίν adjunctum est infinitivo sententiae primariae semper fere sunt affirmati-

vae, bis tantum negativae, ut Eccl. 589 et Pax 307:

οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως ἀπειπεῖν ἂν δοκῶ μοι τήμερον
πρὶν μοχλοῖς καὶ μηχαναῖσιν εἰς τὸ φῶς ἀνελκύσαι
τὴν θεῶν πασῶν μεγίστην. cf. Eurip. Iph. Taur. 20.

Lysistr. 704 similes, qui habent conjunctivum.

In interrogatione quidem est particula negativa, sensus tamen affirmativus Eccl. 620:

οὐκ ἐπιλείψει τὸ πέος πρότερον, πρὶν ἐκεῖσ' οἷ φῇς ἀφι-
κέσθαι;

His igitur locis exceptis enuntiatum prius semper est affirmativum et ter quidem continet indicativum praesentis, velut Eq. 258:

τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις.

cf. Thesm. 863. Plut. 376, persaepe praesentis aut aoristi infinitivum ut Ran. 166:

Διον. σὺ δὲ τὰ στρώματ' αὖθις λάμβανε
Ξανθ. πρὶν καὶ καταθέσθαι;[1])

cf. ibid. 885. Vesp. 452:

ἀλλ' ἄφες[2]) με καὶ σὺ καὶ σὺ πρὶν τὸν υἱὸν ἐκδραμεῖν.

cf. Thesm. 572. 1208. Eccl. 506, quibus esse addendus videtur Vesp. 245 ubi est conjunctivus adhortativus ἀλλὰ σπεύδωμεν.

Conjunctivo aoristi in sententia finali πρίν cum infinitivo est subordinatum in Ran. 1480:

ἵνα ξενίσω σφὼ πρὶν ἀποπλεῖν

Aves 1458. Eccl. 589. Vesp. 1156, ejusdem temporis infinitivo, qui ipse pendet a verbo aliquo quod construi cum infinitivo solet: Plut. 259:

σὺ δ' ἀξιοῖς ἴσως με θεῖν πρὶν ταῦτα καὶ φράσαι μοι

ibid. 378. Eccl. 511. Pax 295.

Res veritati contraria continetur enuntiatione primaria duobus locis: Ran. 673. 955:

ὡς πρὶν διδάξαι γ' ὤφελες μέσος διαῤῥαγῆναι.

Optativum in formula optationis exhibet sententia primaria loci Eq. 937:

1) De καί vide quae disserui ad Soph. Ant. 280 (pag. 14).

2) Sic bene Cobetus pro ἄνες.

ἔπειτα πρὶν φαγεῖν ἀνὴρ μεθή-
κοι, καὶ σὺ τὸ τάλαντον λαβεῖν
βουλόμενος ἐ—
σθίων ἅμ' ἀποπνιγείης.

in sententia condicionali Nub. 780:

εἰ πρόσθεν ἔτι μιᾶς ἐνεστώσης δίκης
πρὶν τὴν ἐμὴν καλεῖσθ' ἀπαγξαίμην τρέχων.

Tempus perfectum in sententiis quibus subordinatum est πρίν cum infinitivo, quod tragici non admiserunt, nisi verbi ἀποθνήσκειν, cujus perfectum habere praesentis significationem notum est, apud Aristophanem legimus locis tribus: Nub. 631:

ὅςτις σκαλαθυρμάτι' ἄττα μικρὰ μανθάνων
ταῦτ' ἐπιλέλησται πρὶν μαθεῖν.

Eccles. 649:

ἀλλ' οὗτος μὲν πρότερον γέγονεν, πρὶν τὸ ψήφισμα γενέσθαι.

Pax 272, quem versum frustra ad hoc tempus viri docti emendare conati sunt. Spurium enim judicatum a Dindorfio, Holdenio, Meineckio defendit Fritschius ad Thesm. 275 pag. 78. Vulgo quidem legitur:

εὖ γε ποιῶν] ἀπόλωλ' ἐκεῖνος κἀν δέοντι τῇ πόλει
ἢ πρίν γε τὸν μυττωτὸν ἡμῖν ἐκχέαι

quum Richterus ἤ defendat „dictum ob antecedens εὖ, in quo latet μᾶλλον." Bergkius deletis ἤ et γέ, πρὶν τόνδε (i. e. τὸν Πόλεμον) τὸν μ. η. ε. scribendum esse censet. Buttmannus contra, probatus Hermanno (ad Med. pag. 385) πρὶν ἤ γε τὸν ... conjecit, elegantius, ut videtur, quam rectius, quum poëtae Attici, πρὶν ἤ, quod apud Ionicos et scriptores posteriores aetate est usitatum, non dixerint. Quare nescio an recipiendum sit, quod scholiastes legisse videtur εἰ πρίν γε, etsi frigere id quodammodo negari nequit.

De plusquamperfecto ἀνεστήκει, quod est in Plut. 737, quid sentirem, jam ad Euripid. Phoen. 1596 pag. 27 disserui.

Tempus futurum ante πρίν cum infinitivo apud Aristophanem non fere invenitur, nisi in interrogationibus, velut Ran. 481:

ὦ καταγέλαστ', οὔκουν ἀναστήσει ταχὺ
πρίν τινά σ' ἰδεῖν ἀλλότριον;

Eccl. 620. Vesp. 402, quibus adjungam Eccl. 132, ubi est in

interrogatione conjunctivus deliberativus: *εἶτα πρὶν πιεῖν λέγω;* Ubi apud Aristophanem in sententia primaria est tempus praeteritum, sicut apud Euripidem, enuntiato post *πρίν* continetur res re vera jam perfecta, licet tamen non usurpetur post *πρίν* indicativus sed infinitivus, velut Eq. 318 sqq.:

Ἀλ. *καὶ πρὶν ἡμέραν φορῆσαι* (sc. *τὸ δέρμα*) *μεῖζον ἦν*
δυοῖν δοχμαῖν.
Οἰκ. *νὴ Δία, κἀμὲ τοῦτ' ἔδρασε ταὐτόν, ὥστε καὶ γέλων*
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεθεῖν,
πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσιν, ἔνεον [1]) *ἐν ταῖς ἔμβασιν.*

cf. Av. 495. 964. 1280. Pax 608. Ran. 1184. Vesp. 1086.

Conjunctivus, quem iisdem, quibus poëtae tragici et ceteri scriptores Graeci legibus observatis, Aristophanes viginti quatuor locis adhibuit [2]) semper fere asciscit particulam *ἄν*, quam abesse non licere a conjunctivo post *πρίν* in sermone familiari monet Porsonus. Cui praecepto assentitus ad Ran. 1280, ubi legitur:

μὴ πρίν γ' ἀκούσῃς χἀτέραν στάσιν μελῶν.

Reisigius scripsit *μὴ πρίν γ' ἂν ἀκούσῃς* probatus Elmsleio, qui tamen scribi maluit *πρὶν ἄν γ' ἀκούσῃς* quod in trimetro raro admitteretur anapaestus, cujus prima syllaba sit *ἄν*. Eodem modo Reisigius iterum probatus Elmsleio in Eccl. 624 ubi est:

κοὐκ ἐξέσται παρὰ τοῖσι καλοῖς καὶ τοῖς μεγαλοῖς καταδαρθεῖν
ταῖσι γυναιξὶν πρὶν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς χαρίσωνται

pro *χαρίσωνται* scripsit infinitivum *χαρίσασθαι*, ne sit *πρίν* solum conjunctum cum conjunctivo. Quae mutationes utrum necessariae sint necne, tum demum dijudicari, mea quidem sententia poterit, quum omitti particulam *ἄν* in sermone familiari non licere, ita ut omnino dubitari non posset, erit demonstratum.

Praeter illos locos, ut jam supra monui, *πρίν* semper asciscit particulam *ἄν*. Sententia vero primaria saepissime exhibet

---

1) ἔνεον cf. Ovid. Art. am. I 516: „Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet."

2) Cf. Mueller ad Ach. 230: „Ubi πρὶν ἂν c. conjunctivo apud Aristophanem invenitur, semper sententia negativa praecedit." cf. Av. 1409. Lys. 704. Eccl. 770. Plut. 24. Vesp. 578. Eq. 961. Pax 85.

indicativum futuri, velut Ach. 230:

κοὐκ ἀνήσω πρὶν ἂν σχοῖνος αὐτοῖσιν ἀντεμπαγῶ
ὀξὺς ὀδυνηρός.

cf. Av. 1409. Eccl. 629. 752. Plut. 23. Particula *γε*, quam etiam a tragicis addi nonnunquam conjunctioni *πρίν* vidimus, etiam apud Aristophanem, neque in responsionibus tantum adjungi solet. cf. Ran. 78:

οὐ (sc. *ἀνάξω*) *πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ' ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον*
ἄνευ Σοφοκλέους ὅτι ποιεῖ κωδωνίσω.

cf. ibid. 845. *Πρὶν ἄν γε* est in Eccl. 770:

. . . . *φυλάξομαι*
πρὶν ἄν γ' ἴδω τὸ πλῆθος ὅτι βουλεύεται.

Secundum futurum saepissime invenitur in enuntiationibus primariis conjunctivus aoristi in sententia finali, qui vero quum plerumque sit in responsionibus, *πρίν* semper asciscit particulam *γε* ut Ach. 176:

Δικ. χαῖρ' Ἀμφίθεε. Ἀμφ. μήπω, πρίν ἄν γε στῶ τρέχων.

ubi Meinekius conjecit *μήπω γε, πρὶν ἂν ἑστῶ.* Haut ita bene, quum praesentis conjunctivus non inveniretur post *πρίν* apud poëtas scenicos (cf. ibid. 299. Ran. 1281. Eq. 961. Nub. 267). Duobus enim locis: Pax 1076:

οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστι φίλον μακάρεσσι θεοῖσι
φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ

et ibid. 1112:

. . . . *οὐ γὰρ οἷόν τε*
ἡμῖν προσδιδόναι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ

quum alii viri docti, tum Hermannus (ad Viger. 443) *ὑμεναιοῖ* esse conjunctivum statuerunt. Equidem vero, ea quam supra attuli causa, aliter ut de iis sentirem adductus sum, illamque difficultatem, posse optime tolli existimo, si posita post *λῆξαι* in versu 1076 et post *προσδιδόναι* in v. 1112 graviore interpunctione, *πρίν* his locis non conjunctionis sed adverbii munere fungi, *ὑμεναιοῖ* vero esse optativum statuimus. Quae mea conjectura multis exemplis Homericis eandem structuram exhibentibus, quae Aristophanem illis, qui in medio sunt hexametris heroicis esse imitatum perspicuum est, munitur. cf. *γ* 113:

οὐδ' εἰ πεντάετές γε καὶ ἑξάετες παραμίμνων
ἐξερέοις ὅσα κεῖθι πάθον κακὰ δῖοι Ἀχαιοί·
πρίν κεν ἀνιηθεὶς σὴν πατρίδα γαῖαν ἵκοιο.

cf. *Α* 97. *Σ* 282. *Ω* 727. — Quae quum ita sint loco Pax 1076 scribendum est:

οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστι φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν
φυλόπιδος λῆξαι· πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.

„nicht liegt es im Willen der Götter ein Ende zu machen der Feldschlacht; eher dürfte ein Wolf ein Schaf freien."

Imperativum aut conjunctivum ejusdem significationis in enuntiato primario exhibent loci Vesp. 920:

μὴ προκαταγίγνωσκ', ὦ πάτερ,
πρὶν ἂν γ' ἀκούσῃς ἀμφοτέρων.

Ran. 1380. Pax 85; infinitivum praesentis Plut. 477:

οὐ δεῖ σχετλιάζειν καὶ βοᾶν πρὶν ἂν μάθῃς.

aoristi *Δαιταλῆς* Frg. IV (Meineke Fr. com. II p. 1027):

. . . . *τῆς μυρηρᾶς ληκύθου*
πρὶν κατελάσαι τὴν σπαθίδα, γεύσασθαι μύρου.

In Lysistratae versu 1005 sqq.:

ταὶ γὰρ γυναῖκες οὐδὲ τῶ μύρτω σιγῆν
ἐῶντι πρὶν χἄπαντες ἐξ ἑνὸς λόγω
σπονδὰς ποιησώμεσθα ποττὰν Ἑλλάδα

pro *ποιησόμεσθα* ex cod. B Brunckius optime reposuit *ποιησώμεσθα*. *Πρὶν χἄπαντες* id est *πρίν κα ἅπαντες* dorice pro *πρὶν ἂν ἅπαντες*. Praeter hunc locum praesens legitur in enuntiato primario loci Vesp. 579:

οὐκ ἀποφεύγει πρὶν ἂν ἡμῖν
ἐκ τῆς Νιόβης εἴπῃ ῥῆσιν.

Ad optativum cum particula *ἄν* in sententia condicionali *πρίν* cum conjunctivo est referendum in Vesp. 725:

ἦ που σοφὸς ἦν ὅστις ἔφασκεν, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς
οὐκ ἂν δικάσαις.

cf. Eurip. Heracl. 180.

Aristophani adjungam comicorum quae supersunt fragmenta in quibus conjunctio *πρίν* adhibita reperitur. Sunt autem omnino loci sedecim, quorum novem quidem exhibent post *πρίν* infi-

nitivum aoristi velut Pherecrat. *Ἄγριοι* frg. 8 (Mein. II 259):

πρὶν ἀνακυκῆσαι τὰς ἀπίους ἁρπάζετε.

cf. Eupolis *Αὐτόλυκ.* frg. III (M. II 441), Menander incert. fab. frg. XC (M. IV 258), Euphro *Θεωρ.* (Mein. IV 491), Nicomachus *Εἰλειθ.* (M. IV 583, 17), Archedicus *Θησαυρ.* frg. II (M. IV 436, 7), Eriphus *Μελιβ.* frg. IV (M. III 558) duo habent *πρὶν καί*: Eupolis *Φίλοι* frg. IV (M. II 533):

Οὐκ ἐσωφρόνησας, ὦ πρεσβῦτα, τὴν κατάστασιν
τήνδε λαμβάνων ἄφνω πρὶν καὶ μαθεῖν τὴν ἱππικήν.

cf. Antiphanes *Ποίησις* frg. v. 4 (Mein. III 105).

Tribus locis *πρίν* conjunctum est cum infinitivo praesentis, ut Cratinus *Τροφών.* frg. X (M. II 144):

Χαῖρε δὴ Μοῦσα, χρονία μὲν ἥκεις, ὅμως δ'
ἦλθες οὐ πρίν γε δεῖν, ἴσθι σαφές, ἀλλ' ὅπως —

ubi *πρίν* consociatum est cum vocula *γε* et ab Aristophane ad *πρίν* cum infinitivo bis addita (Pax 272. Ran. 955). cf. Antiphanes *Γανυμήδ.* frg. II 3 (M. III 41), Anaxandridas incert. fab. frg. XVIII (M. III 200).

Ac ne perfecti quidem infinitivus post *πρίν* in fragmentis comicorum deest, ut docent fragmenta Antiphontis *Λεωνίδης* (M. III 79):

ἀλλὰ πρὶν δεδειπνάναι ‖ ἡμᾶς παρέσται

et Pherecratis *Αὐτόμολ.* frg. IX (M. II 265) et anonym. frg. CCCXCIII (M. V 122).

Conjunctivus uno tantum fragmentorum loco exstat, et is non aoristi, sed praesentis, qui est rarissimus, omissa particula *ἄν*: Cratinus *Δηλιάδης* VIII (M. II 35): *πρὶν παροῦσα διδάσκῃ.* cf. Grammat. Bekkeri pag. 129, 10: *λείπει δὲ* (particula *ἄν*) *καὶ ἐν ὑποτακτικοῖς Εἴ τις — προκριθῇ. καὶ πάλιν Πρὶν παροῦσα διδάσκῃ. Κρατῖνος Δηλιάσιν.*

Dionysii *Θεσμοφόρων* fragmenti locus (Mein. III 547—549):

τὸν μάγειρον εἰδέναι
πολὺ δεῖ γὰρ ἀεὶ πρότερον οἷς μέλλει ποιεῖν
τὸ δεῖπνον ἢ τὸ δεῖπνον ἐγχειρεῖν ποιεῖν.

eo est memorabilis, quod *πρότερον — πρίν* mutatum est cum

πρότερον — *ἤ*, quam structuram jam observavit Hartungius l. l. II pag. 69. cf. Thucyd. VI 58: *πρότερον ἢ αἰσθέσθαι αὐτοὺς ἄποθεν ὄντας, εὐθὺς ἐχώρησε.*

Restat ut, quomodo congruant tragici et comici in particula *πρίν* construenda, quomodo differant et inter se et ab Homero, Herodoto, Thucydide breviter exponam. Atque primum quidem quae sint poëtarum scenicorum usui communia explicabo.

1) Poëtae scenici particulam *πρίν* cum infinitivo, quem usurpant sive agitur de rebus futuris sive de perfectis, non fere conjungunt nisi post sententias primarias affirmativas.

2) Item indicativus, quem Euripides saepius admisit, quam ceteri poëtae scenici, qui eum fere sunt aspernati, non invenitur nisi post enuntiationes affirmativas.

3) Optativo post *πρίν* et tragici et comici plane abstinuerunt, Sophocle excepto, qui optativum aoristi sexies adhibuit omissa particula *ἄν*, post sententias negativas.

4) Particulae *πρίν* conjunctae cum conjunctivo et *ἄν*, poëtae scenici et imprimis Aristophanes addiderunt voculam *γέ*, quae ne a *πρίν* cum infinitivo quidem est aliena, quamquam ibi saepius inveniuntur particulae *ποτέ* et *καί*. *Πρὶν δή* cum indicativo duobus est locis Euripideis.

5) Perfecti infinitivo, qui et in tragicis et apud ceteros scriptores est rarissimus, Aristophanes et quantum ex fragmentis potest colligi omnes comici post *πρίν* admodum saepe indulserunt; praesentis infinitivo Sophocles.

Ab usu poëtarum scenicorum:

A. Homericus et Hesiodeus eo differt, quod:

1) *πρίν* cum infinitivo saepius referendum est ad sententias negativas, quam ad affirmativas.

2) Tempus futurum in enuntiatis primariis non praecedit, nisi cum negatione, quam structuram poëtae scenici plane aspernati sunt.

3) *πρίν* numquam sociatur cum indicativo, numquam cum optativo.

4) *πρίν* constructum cum conjunctivo non asciscit *ἄν*, contra plerumque voculam *γέ*, quam neque tragici neque comici admiserunt, nisi una cum particula *ἄν*.

5) Perfecti et praesentis infinitivo Homerus et Hesiodus plane abstinuerunt.

B. Herodoteus et Hippocrateus, quod

1) *πρίν* sive est conjunctum cum infinitivo, sive cum indicativo sive cum conjunctivo saepe asciscit voculam *ἤ*, quae structura neque apud poëtas scenicos, neque duobus locis exceptis (ε 288. χ 266) apud Homerum invenitur.

2) *πρὶν δή* quod poëtae scenici non admiserunt, nisi cum indicativo semel Euripides, et *πρίν γε δή*, quod numquam apud tragicos aut comicos, neque apud Thucydidem reperitur nisi cum indicativo (cf. I 132. VII 71), Herodotus etiam cum conjunctivo conjunxit. *Πρίν γε* contra, quod apud illos est usitatissimum, numquam est apud Herodotum.

3) ubi *πρίν, πρὶν ἄν, πρὶν ἤ* sunt constructa cum conjunctivo apud Herodotum et Hippocratem, semper praecedat aut tempus praesens aut futurum necesse est, quum a poëtis scenicis nulla sententiae primariae temporis aut modi ratio habeatur. — Denique monendum est, quod ne Herodotus quidem perfecti infinitivum plus uno loco (III 25, 2), praesentis duobus (VI 116. VIII 3) usurpavit.

C. Thucydideus usus eo differt quod:

1) In sententiis primariis negativis saepius *πρίν* construxit cum infinitivo, saepiusque (ter decies) admisit praesentis infinitivum, perfecti numquam.

2) Conjunctivum perraro usurpavit, et quinquies addita, quater omissa particula *ἄν*.

3) Indicativus post *πρίν* apud eum sicut apud oratores non fere reperitur, nisi post sententias negativas (quod numquam admiserunt poëtae scenici), atque tum plerumque apud Thucydidem quidem *πρίν* asciscit voculam *δή* aut *γε δή*. Contra nullo Thucydidis aut oratorum loco exstat

πρίν γε cum infinitivo aut πρίν γ' ἄν cum conjunctivo, quod ne Ionicos quidem scriptores admisisse jam supra docui.

4) Temporum et modorum, quae sunt in sententiis primariis, etiam apud Thucydidem multo simplicior est, quam apud poëtas scenicos ratio. Quatuor enim locis exceptis, quorum duo (III 69. VI 76) exhibent optativum, duo (IV 69. VII 50) conjunctivum semper praecedit praesentis aut aoristi indicativus aut infinitivus, admodum raro futurum.

V i t a.

Oswaldus Prause, Posnaniensis, natus sum Nonis Februariis a. h. s. LII patre Ernesto, matre Carlotta ex gente Hoffmann quibus adhuc viventibus gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis ludo publico imbutus traditus sum gymnasio Crotosiniensi quod tunc Gladisch directore florebat. Cum maturitatis testimonio a. 1872 dimissus studiis philologicis in academia Vratislaviensi per tria in academia Friderica-Guilelma Berolinensi per quinque semestria operam dedi scholis fructus virorum illustrissimorum Hertz, Rossbach, Reifferscheidt, Foerster, Rueckert, Dilthey, Curtius, Haupt, Huebner, Kirchhoff, Vahlen, Droysen, Muellenhoff, Bonitz, Harms, Zeller. Societatis philologicae Huebnerianae sodalis fui per semestria tria. — Quibus praeceptoribus omnibus gratias ago quam maximas.

Theses.

1) Aristoph. Pax 1076 pro:
οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστι φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν
φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ (Conjunctivus)
scribendum puto: . . . .
. . . . *λῆξαι· πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ* (Opt. potent.)

2) Plautus Mercator 966 pro codicum lectione:
Tíbi amicam ésse nullam núntio
scribo:
Tibi amicam esse nullam amanti nuntio.

3) Plautus Curc. 477 pro:
Cónfidentes gárrulique et málevoli sŭprá lăcūm
scribo:
Cónfidentes gárrulique et málevoli sunt sŭ́pră lacum.

4) Plautus Persa 696:
codd.: Eum ego ut requiram atque ut redimam volo,
ego: Eum ego ut requiram atque ut redimam niti volo.

5) In Terentii Andria 712 pro face scribo fac.

Theses.

1) Aristoph. Pax 1076 pro:

οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστι φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν
φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ (Conjunctivus)

scribendum puto: . . . .
. . . . *λῆξαι· πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ* (Opt. potent.)

2) Plautus Mercator 966 pro codicum lectione:

Tíbi amicam ésse nullam núntio

scribo:

Tibi amicam esse nullam amanti nuntio.

3) Plautus Curc. 477 pro:

Cónfidentes gárrulique et málevoli sŭprā́ lăcūm

scribo:

Cónfidentes gárrulique et málevoli sunt sŭ́pră lacum.

4) Plautus Persa 696:

codd.: Eum ego ut requiram atque ut redimam volo,
ego: Eum ego ut requiram atque ut redimam niti volo.

5) In Terentii Andria 712 pro face scribo fac.

Ienae, typis Ed. Frommanni.

DUE DATE

JAN 22 199			
DEC 21 REC'D			